

rentur pro expressis, habentes non tenere et nemini quominus eisdem venetis favendo, sub colore earum censuras et poenas prædictas incurvant, execusionem præstare posse, declaramus observent quoquo modo. Cæterum, si moniti, excommunicati, interdicti, anathematizati, maledicti, privati et inhabilitati prædicti, postquam privationis et inhabilitationis poenas prædictas incurrerint, obstinata animi duritie nostris monitioni et mandato prædictis ulterius distulerint obtemperare, ex nunc prout ex tunc omnes reges, principes, marchiones, barones, communitates, universitates et quoscumque alios terrarum dominos et gentium armorum capitaneos, ad quorumcumque fidelium stipendia militantes, et alias quascumque personas, tam per mare quam per terram facultatem et potestatem habentes, requirimus per præsentes, eisque et cuiilibet ipsorum, in virtute sancte obedientiae præcipimus et mandamus, quatenus contra eosdem venetos, hac in sua obstinatione pèrseverantes, pro honore prædictæ sedis armis insurgant eosque persecui et debellare ad restitutionem quoque ablatorum sanctæ romanæ Ecclesiae faciendam cogere procurent; et ne nostras civitates et loca quaecumque occupent, se eis exponant et in ipsorum venetorum pénam. Et pro eorum plectenda rebellione hujusmodi quoscumque venetos et eorum civitatibus, terris et locis et dominiis degentes et civitatum, terrarum et locorum, quorum communitates, universitates et incolæ prefatos venetos in eorum dominos recognoscere, et eis, ut eorum dominis, obtemperare præsumpserint, postquam ipsi veneti privationis juris eorum in illis poenam incurrissent, ubicumque eosinvenerint capiant et captivos teneant eorumque mercantias, pecunias, navigia, credita, res et bona omnia in proprios usus convertant. Nos enim, auctoritate et de plenitudine potestatis præmissa, 95• ipsis arma sumentibus et aliquos eorumdem venetorum et subditorum, eisdem tunc eorum ditioni obtemperantium, eorum res et bona in hujusmodi eventum capientibus, universa pecunias, jocalia, mercantias, navigia, animalia, res et bona mobilia et immobilia, ubique locorum, etiam extra loca territorii eorumdem venetorum, civitates quoque castra et loca eorumdem venetorum, civitates, quæ sic receperint, eis in prædam concedimus et volumus illa ad eosdem capientes pleno jure pertinere, et personas ex Venetiis aut aliis civitatibus, terris et locis, quorum communia et universitates ab eorum obedientia, prout eis mandatur per præsentes, se non subtraxerint, ut præfertur originem trahentes, seu in illis domicilium habentes, quas ubique locorum

capi contigerit, servos fieri capientium. Concedimus quoque eisdem, qui sic contra eosdem venetos pro romanae Ecclesiae defensione et rerum sibi ablatarum et apostolicae auctoritatis reintegrazione ipsorum venetorum bello et oppugnationi hujusmodi se opposuerint, et ad defensionem nostram quomodolibet præstiterint auxilium, consilium vel favorem, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem. Et si qui reges, duces, principes, marchiones, comites, barones, communitates, universitates, collegia, tam in Italia quam extra Italiam constituta, aut quævis aliæ etiam particulares personæ, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quæsito colore eisdem venetis, excommunicatis, anathematizatis, maledictis, privatis et inhabilitatis contra romanam Ecclesiam in præmissis vel aliquo eorum arma, pecunias aut commeatum ministrare, seu auxilium, consilium, vel favorem quovismodo præbere præsumpserint, aut cum comode possent, a spolio, depredatione et capture eorumdem venetorum subditorum suorum abstineant, quicunque fuerint etiam quacumque excelsa prædicti dignitate, maledicti et excommunicati existant, et divino percuSSI anathemate, nec de salute animæ sperrent, nisi ante finem dictæ pœnitentiam agentes, apostolica fuerint auctoritate absoluti. Universitates vero sciant sibi divinis penitus interdictum, et nisi se correxerint, divinam expectent ultionem, et nihilominus earum singulares personæ paribus excommunicationis sententia et aliis pœnis, quibus alii excommunicati prædicti, exinde innotentur. Ut præmissa omnibus innotescant, universis et singulis patriarchis, episcopis, patriarchalium, metropolitanum et aliarum cathedralium et collegiatarum ecclesiærum, prælatis, capitulis et personis allis ecclesiasticis, etiam quorumvis ordinum etiam mendicantium, religiosis exemptis et non exemptis, per universum orbem et præsertim in Italia constitutis, mandantes, 96 quatenus ipsi et quilibet eorum, sub similibus censuris et pœnis, per eos et singulares personas eorumdem capitulorum, si postquam vigore præsentium requisiti fuerint, infra tres dies, quorum unum pro primo et alium pro secundo ac reliquum pro tertio et peremptorio termino, canonica monitione præmissa, assignamus, non paruerint, eo ipso incurrendis eosdem ducem, consiliarios, commune Venetiarum et singulares ejusdem communis personas, officiales, provisores, consiliarios, fautores, adherentes, complices et sequaces eorum ac alios monitos prefatos, decursis eis assignatis terminis prædictis, si non paruerint, in eorum ecclesiis, dominicis et aliis festivis